







9309

777311

QVAESTIO  
 IVRIS CONTROVERSI  
 AN  
 RENVNCIATIO HEREDITATIS  
 PATERNAE INVOLVAT  
 RENVNCIATIONEM DOTIS  
 FILIAE ELOCATAE

QVAM  
 ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
 PRAESIDE  
 D. CHRISTIANO HENR. BREVNING  
 PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.  
 ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBVRGENS.  
 SOCIO  
 DIE XIV. OCTOBR. ANNO MDCCCLXXIII.  
 DEFENDET  
 CHRISTIANVS FRIDERICVS FIEDLERVS  
 SEYFFERSDORF. MISN.

---

LIPSIAE  
 EX OFFICINA LANGENHEMIA.





REVINCATIO REVERENDISSIMO  
PATRIARCHAE HANNOVERAN-  
SIS REVINCATIO REVERENDISSIMO  
FILIAE MARGARITAE

REVINCATIO REVERENDISSIMO  
D. CHRISTIANO HENR. BREWSTER

REVINCATIO REVERENDISSIMO  
DIE IN OCTOBRIS ANNO CHRISTIANISSIMO  
CHRISTIANUS REVERENDISSIMO

REVINCATIO REVERENDISSIMO  
REVINCATIO REVERENDISSIMO







AN  
RENVNCIATIO HEREDITATIS  
P A T E R N A E I N V O L V A T  
RENVNCIATIONEM DOTIS  
FILIAE ELOCATAE.

---



§. I.

Quamuis Romana iura successoria pacta haud admittant, nec permittant, vt hereditas titulo pacti acquiri possit; tamen vehementer disputatur, an repudiatio futurae nec delatae hereditatis per pactum valeat. Non enim ambiguum videtur, valere pactum, quo iam delatae hereditati renunciamus, modo absque fraude fiat. Coniicio ex autoritate **VLPIANI** in *L. 2. pr. π.* *Si quis omiff. caus.* et **POMPONII** in *L. 3. π. eod.* Et maxime **VLPIANI** *l. c.* verba dabimus: *Licet pro herede gerere non videatur, qui pretio accepto praetermisit hereditatem: tamen dandam in eum actionem, exemplo eius, qui omiffa causa testamenti ab intestato possidet hereditatem, Diuus Hadrianus rescripsit: proinde legatariis et fideicommissariis tenebitur. Sed utrum ab eo erit incipiendum, et sic ad heredem veniendum: an conuertemus ordine? mihi videtur humanior esse haec sententia, vt possessor hereditatis prior*





*excutiatur: maxime si lucratiuam habet possessionem.* Est ergo pactum delatae hereditatis renunciatiuum accepta pecunia initum, cui non negatur effectus, sed cui potius ex *humanitatis* ratione Ulpianus tribuit, vt renuncians non prius conueniatur ob acceptam pecuniam ad soluenda legata et fideicommissa, quam possessor cum qua repudians pactus erat, excuslus sit.

§. II.

Sed an valeant illa pacta de repudianda non dum delata hereditate, iam videamus. Sane manifestum est ex ipsis legum rationibus, iure Romano haud valuisse. Praeterquam enim, quod ob *unitatis personarum vinculum* pacta inter patrem et filiam haud valerent, expresse PAPINIANVS in *L. 16. π. de Suis et legit. hered.* pactis illis renunciatiuis vim negare videtur. Ait: *Pater instrumento dotali comprehendit, filiam ita dotem accepisse, NE QUID ALIVD EX HEREDITATE PATRIS SPERARET: eam scripturam ius successionis non mutasse constitit; Priuatorum enim cautionem legum auctoritate non cenferi.* Equidem de instrumento illo tantum probante a patre confecto agit Papinianus; nec ex illius verbis manifeste apparet, pactam fuisse filiam cum patre, tamen ea, quam dedimus rationem, iam sufficeret, et quid obstat quominus dicamus, conuenisse filiam cum patre acceptando dotem ea apposita condicione: *NE QUID ALIVD EX HEREDITATE PATRIS SPERARET.* Et ita pactum habetur in *Rescripto ALEXANDRI. A.* quod continetur in *L. 3. C. de collat.* *Pactum dotali instrumento comprehensum, vt contenta dote, quae in matrimonio collocabatur, nullum ad bona paterna regressum haberet IVRIS AVTORITATE IMPROBATVR.* caet.

§. III.

Quidquid vero sit, *Iure Canonico* pacta filiarum renunciatiua hereditati paternae non improbantur. Expresse confirmantur in *cap. 2. de Pactis in Vltimo* modo illa renunciatio fa

Ca





Et iureiurando confirmata fuerit. Nec Iuris Germanici autoritas ea pacta improbat. Cum enim hoc ius non tantum non abhorret a pactis hereditatibus, imo pactis sibi successorem acquirere permittit, sed adeo civilem et perfectam pactis deliberato animo initis auctoritatem confert; nullo idoneo argumento vis et effectus pactis renunciatiuis negari hoc iure poterit. Sed quo certior haec opinio, usu pariter ac legibus comprobata, maxime, cum ne ius iurandum quidem exigat **IUS PROVINCIALE SAXONIC. Lib. I. art. XIII.** eo grauiore controuersiae simul exortae sunt. Sic dubitant, vtrum legitima filia renunciauerit simul, quae hereditati paternae renunciauerat. Hoc ita dubium quibusdam visum fuit, vt propterea **BOEHMERVS** in *Introd. in Ius Digest. L. XXXVIII. T. XVIII. §. 32.* scribat: *consultius fore, in specie legitimae mentionem in renunciatione facere.* Vix autem putem, hanc prouidentiam tantopere necessariam. Sicuti enim liberis praeter legitimam, quae portio ab intestato debita est hereditatis paternae, parentes nihil relinquere tenentur, renunciando hereditati paternae legitima comprehensa esse debet, haec enim necessariam hereditatem constituit, nam in reliqua bonorum parte non opus est renunciatione, quam suo iure pater liberis suis non relinquere perfecta gaudet libertate. Putem ergo, magis necessarium esse, vt in renunciatiuo pacto exprimat, si legitima non sub eo comprehendatur, sed si tantum intelligenda sit de reliquis praeter legitimam paternis bonis.

§. IV.

Sed an filia in matrimonium ducta renuncians hereditati paternae simul doti renunciauerit, non minus dubium videtur. Si **STRYCKII** de *Sucess. ab intestat. Diss. VIII. Cap. X. §. 24. sqq.* **MEVII** ad *Ius Lubec. Part. II. Tit. I. n. 64. et 66.* et **LVDOVICI** in *Doctr. Pand. L. XXIX. Tit. I. §. 6.* valeret sententia, renunciatio hereditati paternae absque dubio congruam simul sub hereditate com-







prehenderetur. Sed sicut alii haud desunt, qui contradicunt, quid nobis videatur breuiter tantum dicamus nostrasque rationes adiciamus. Quo vero litem accuratius definire queamus, distinctis Iuribus argumenta nostra dabimus.

§. V.

Iure Romano, quod non omnino illa pacta probare videtur renunciatiua, ob ea, quae diximus ante, facilis erit decisio. Accedunt ex eodem Iure aliae rationes non spernendae, quae haud paterentur, vt sub renunciatione hereditatis etiam dos renunciata habenda sit. Sicuti enim omnis renunciatio stricte interpretanda est, ita, cui expresse renunciatum non est, haud subintelligitur. Dein alia est causa dotis, alia hereditatis. Dos enim ad ferenda onera matrimonii soluitur, hereditas vero venit, vel ex *συνδεσμορέα* vel sacrorum magis familiae communiōe. Dotatio vero officium est patriae potestatis, atque a patre exigi potest, quamuis pater haud promisit. Testatur IUSTINIANVS in *L. 7. C. de dot. promiss.* in verbis: *Neque enim leges incognitae sunt, quibus cautum est omnino PATERNUM esse OFFICIUM dotem vel ante nuptias donationem pro sua dare pro genie.* Et grauius testimonium est apud MARCIANVM in *L. 19. π. de Rit. Nupt.* Scribit: *Capite trigesimo quinto Legis Iuliae: qui liberos, quos habent in potestate iniuria prohibuerint ducere uxores, vel nubere, vel qui dotem dare NON VOLVNT: ex constitutione Div. Seueri et Antonini per proconsules praefidesque prouinciarum coguntur in matrimonium collocare et DOTARE.* Contra quo ad hereditatem teste GAIO in *L. 14. π. de suis et legit. liberi ipso iure sunt heredes.* Dein cum ex PAULI in *L. 70. π. de Iur. dot.* opinione in ambiguis pro dotibus respondere melius est, idque, quia ex Romani iuris maxime Legis Papiuae Poppeae autoritate reipublicae interest mulieres dotes saluas habere, propter quas nubere possunt vt PAVLVS in *L. 2. π. eod.* scribit: vix concedi poterit renunciantem filiam hereditati paternae, renun-





renunciassé quoque doti. Dein maritus filiae ius habet exigendi dotem, cui vero renunciatione hereditatis paternae a filia coniuge facta hoc ius adimi nequit, hoc vero adimeretur, si renunciatio hereditatis dotem contineret. Et maxime si dos a patre promissa sit, quae promissio bona paterna efficit obligata, ea bona ab obligatione non liberabit, si filia coheres suo succedendi iure renunciet, sed ab iis heredibus adhuc promissio a patre facta, est adimplenda, ad quos bona obligata veniunt. Neque aliter res comparata erit, licet dos a patre non promissa, cum et ipsa lex ad facultates patris respiciat, in obligatione dotis soluendae imponenda: nam PAPINIANVS in *L. 69. §. 4. 7. de Iur. dot.* ait: *Dotis quantitas pro modo facultatum patris et dignitate mariti constitui potest.*

§. VI.

Quod si itaque verum, renunciationem hereditatis ea comprehendere bona, quae hereditatis titulo atque nomine ad renunciationem ventura erant, ad quae dos haud pertinet: dotis vero causa ex romano iure a nostratibus recepta sit, dubium non videtur, quamvis patrio iure renunciations hereditatum validae, tamen nullam subesse rationem, cur a romani, quod superiori §. dedimus, iuris rationibus non recedamus. Est quidem verum, renunciations illas magis comprobari iure Canonico, ut videantur iura confundi. Sed nec canonicum ius sub hereditate comprehendit dotem, imo magis dote accepta filiae renunciare permittit *cap. 2. de pact. in VIto.* Concludo vero, cum filia quae dotem acceperat, renunciare possit hereditati, neque tamen ad conferendam dotem teneatur, dote nec repudiata censendam, licet hereditati renunciauerit, neque sese declarauerit, se sola dote velle esse contentam: v. *NOV. XCII. cap. 1.*

§. VII.

Pergo ad Ius Saxonicum Electorale. Non quidem negari potest, hoc iure pacta renunciatiua valere, et quidem ita,

vt



8



vt feminae jurato, masculi contra nudo pacto renuncient hereditati, quale ius deprehenditur in *CONSTIT. ELECT. XXXV. Part. II.* de cuius legis interpretatione videndus BERGERVS in *Oecon. Iur.* et WERNHERVS *Part. II. Obs. 430.* At non vna eademque causa ratione dotis erit, quae est in ciuili iure. Nam cum in *DECIS. ELECT. nouiss. (de Anno MDCCXLVI.) XXIX.* sancitum sit: *Wenn ein Vater seiner Tochter keine Ausstattung versprochen, kann dieselbe, oder ihr Ehemann, nach der Verheirathung dergleichen von ihm nicht fordern, sondern es ist davor, als ob sie sich dessen begeben haette, zu achten.* Quapropter videtur esse distinguendum: Si dos certa promissa sit a patre filiae elocatae, quae postea hereditati paternae valide renunciauit, illa utique petet dorem ex promisso, quamuis ex hereditate nihil ad illam veniat ob renunciationis auctoritatem. Causam hanc dabimus, quippe omni eo iuri, quod ex capite successionis in omne ius, quod defunctus pater habuerat, seu hereditati renunciauerat. At dorem exigit ex conuentione cum patre inita, neuiquam ex iure hereditatis: hoc vero iure omnes alias non prohibitaee conuentiones parentum atque liberorum inter se obligant vi *DECIS. ELECT. XIV. de anno MDCCXLVI.* At quid, si nulla dos a patre promissa filiae, quae postea paternae hereditati renunciauerat, neque accipiet ex paterna hereditate dotem mortuo patre. Cum enim ex leg. cit. auctoritate pater conueniri non posset, quod tacite doti renunciaisse putetur, multo minus heredes conuenientur, nulla enim in eos transiit obligatio. Et quamuis hereditatis factae renunciatio non in se contineat simul stricte dotis renunciationem, tamen lex ipsa taciturnitati, quod a patre dotis promissio exacta non fuerit ante initum matrimonium, hunc tribuit effectum, vt nullam dorem postea ex paternis bonis petere possit.

*Page in the Germanic Electors*  
*in the year 1740*





ULB Halle  
004 758 501

3



*56*









9309

1773, 11.

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
AN  
RENVNCIATIO HEREDITATIS  
PATERNAE INVOLVAT  
RENVNCIATIONEM DOTIS  
FILIAE ELOCATAE

Q V A M  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
P R A E S I D E  
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING  
PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBVRGENS.  
S O C I O  
DIE XIV. OCTOBR. ANNO MDCCCLXXIII  
D E F E N D E T  
CHRISTIANVS FRIDERICVS FIEDLERVS  
SEYFFERSDORF. MISN.

---

L I P S I A E  
E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A .